

qua animalium partium representant similitudinem, eorum virium compotes sunt. Id autem cum eo capite universè probasset, ulteriorem probationem in libro 4. reservat, eamque à cap. 3. latè persequitur usque ad 24. Probatque, certisque probatum experimentis asserit, ex Physiognomia alicujus partis animalis, atque ei similis plantæ, utriusque vires similes esse deprehendi: ita ut si partem quamvis cuspisiam animalis similem videas alicujus plantæ, quas vires naturales planta habuerit, eandem item parti illi animalis inesse credas, quæ idem plantæ similis extiterit. Verbi gratiâ, ex Physiognomia pedum Anserini, Gruini, aut Gallinacei, adversus serpentes eisdem pedes valere, inde agnoscimus, quia plantæ illæ, quas harum volucrum pedes propriâ Physiognomica repræsentant, serpentibus etiam extiales sunt: & è contrario ex physiognomia plantarum certò colligimus eisdem illas vires præstare, quibus præstiterint partes illæ animalium, quas eadem plantæ propriâ retulerint figurâ. Atque hinc factum est, ut eodem nomine utraque vocentur, vel propter formæ, vel propter virium similitudinem.

In columba pede absoluta Francis Amomiformis.

Amomum officinale contra serpentes.

Dioscor. Galen.

Amomi ad instar Deipara Virgo Sibylla.

Assyrium dicitur pro Syro unde Salmeron prolegom. 41.

Invieta Mariani pedis virtus amomum.

156. His positis, integrum jam est agnoscere ingenitam columbino pedi virtutem contra serpentes efficacissimam. Quod ex Baptista Portæ physiognomico principio declaratur. Si enim physiognomiam spectes, absolutissimam fructus Amomi formam in columbæ pede perspicias. Eam agnoscunt Ravillius lib. 18. Hist. Plantarum c. 40. Et Garzias lib. 1. Hist. Aromatum Indicarum c. 31. cui suffragatur Clusus in scholio. Accedit quòd Arabes, ex hujus physiognomiæ similitudine Amomum ipsum vocant pedem columbæ, ut iidem testantur auctores. Si ergo constet, Amomum validissimum esse contra serpentes, consequens est, per superiorum physiognomiæ legem, columbinum pedem, Amomum simillimum, eandem fortiri vim serpenti infensissimam. Illud verò probant Dioscorides lib. 1. c. 2. & 14. Galenus lib. 1. de Antidotis, & lib. 2. in Antidoto Eli Gaii. Amomum efficax est contra serpentes. antidotis adversus venena miscetur. Amomum appellari Virginem Matrem constat ex Sibyllino Oraculo quod tanti habetur ab Ecclesiæ Patribus, & Theologis. Sibylla enim postquam novam Virginis prolem è sublimi cælo mittendam cecinit, quæ primi hominis scelus aboleret; de ipsamet Matre Virgine, atque de illius hoste, antiquo serpente, in hunc modum vaticinata est:

*Occidat & serpens, & fallax herba veneni  
Occidet, Assyrium vulgò nascetur Amomum.*  
Obscuro, sed eximio quodam hieroglyphico ex Amomi & serpentis dissidio explicuit Prophetis, tum veteres serpentes, & Deiparæ inimicitias, tum extremam serpenti cladem à muliere inferendam. Tota oraculi virtus ex naturali illa, quam dicebamus, serpentis, & Amomi discordia pendet. En qua ratione Amomum, & columba appelletur B. Virgon: en quo jure eadem vis inest columbino pedi, atque Amomi fructi, contra serpentes, & serpentinum venenum.

157. Sed jam ab invictâ hac columbini pedis virtute, caput Paradisi serpentis viriliter conterente, Deiparam per eruditum Interpretem dilaudatam, Rupersum audiamus. Sic ille

lib. 6. in Cant. ad illud cap. 7. 1. *Quam pulcherrimum christi sunt gressus tui in calcamentis, filia caput.*  
Principis! postquam discalceatos pedes, servilis ignobilitatis, calcatos verò, nobilitatis argumentum esse docuit: Idcirco ancillæ calcamentum serpens momordit: tu autem, ô filia Principis, bene calcata caput serpentis contrivisti: tu maxime, ô Princeps, & Domina, singularis dilecta, & sicut jam dixi, una columba mea, una genitrici suæ, videlicet generationi libera. Expende columbam libero pede caput serpentis conterentem. Audi rursus eundem Rupert. lib. 2. in Cantic. ex oppositione Mariæ, & Evæ idem docentem. *Rupert.*  
*Quasi inimica, Eva quasi vipera, Eva quasi deformis, & ignominiosa. Mihi inimica, viro suo vipera, sibi met confusa ignominia. Inimica per superbiam, qua intus tumuit; vipera per malitiam, quam ex serpente concipiens, foris tentata facile cessit: ignominiosa per prurium libidinis, quâ statim seaturire capit. Tu autem (Dei vox est ad Mariam) amica mea per humilitatem, columba mea per charitatem, formosa mea per castitatem: tu contra Deum non tumuisti, imò mente humili Altissimo complacuisti, & ecce amica es. Tu serpenti avrem non præbuiisti, imò inimicitias inter te & serpentem ego posui, & ecce columba es. Veni ergo Maria, veni & conterte caput serpentis. Deiparam Dei amicam semper extitisse, docet Rupertus, serpentis inimicitias perpetuò sustentasse, atque uti columba serpentem caput immuni pede contrivisse. Dum autem, & columbam vocat, & primæ superbiæ in summæ scientiæ superba affectatione immunem esse asserit, humilem ipsi sapientiam adscribit, sinceram, columbinam, quâ superbium callidi serpentis caput comminuit. Nec mirum, illustria sunt alia ejusdem Ruperti verba lib. 3. in Cantic. ubi ex septem columbæ proprietatibus, totidem Mariæ laudes enumerat. Preme hic tantum illa, *Columba juxta fluenta residet: tibi autem, vel tuo pectori omne fluentium scripturarum, quam contiguit esse? Numquam advenit spiritalis accipitris tibi esse improvisus, aut te consequi, imò nec tibi appropinquare potuit. Solidissimam, atque perennem attribuit divinarum scripturarum scientiam, qua & insensum declinare scivit accipitrem, antiqui serpentis evasit venena, atque in astuto capite superbiæ sapientiæ libidinem contrivit omni originariâ insipientiâ longè superior.**

158. Denique ut liberiosem à serpentis vulnere sacram hanc asseramus columbam; & unde scientiam tantam hausit, quâ potuerit præoccupato istu hostem callidissimum avvertere, & de illo triumphum agere, explicemus; securum illi præfugium, vitale Crucis lignum, verè totius bonæ sapientiæ lignum, adscribimus, Christumque Crucifixum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ; & scientiæ Dei. Cant. 2. 14. *Veni columba mea, in foraminibus petreæ & in caverna maceræ.* Ad quem locum Patrè communi consensu sacram hanc columbam, ad Christi vulnera de cruce pendentis, tanquam ad immunitatis asylum, vocari explicant. Signanter Rupertus lib. 2. in Cantic. idem docet, & columbam Deiparam interpretatur. Cui interpretationi addere libet quæ B. Damianus lib. 2. Epist. 18. scribit de Pridexione, seu columbina arbore: *Est in India finibus arbor, quæ Græcè Pridexi-*

Christus crucifixus fuit Deiparæ arbor ad verius serpentem: à Cruce omnis est Sapiensia.

Cant. 2. 14.

India arbor Pridexi-

ad quam Peredixion, vel Pridexion (an Peristereon?) sese columba vocatur, cuius utique fructus nimis est dulcis, recipimus, ne & valde suaviss. In hujus igitur arboris gratia columba non modicè delectatur, cuius nimirum eas fructus reficit, & umbra defendit. Terminus enim Draco ferali eas immanitate persequitur, & cruenti gutturi barathro inbante abforbere molitur. Sed sicut columba Draconem, ita nihilominus Draco formidat eam, quam prædiximus arborem, sed præcipuè timet umbram; ita ut si umbra fuerit à parte arboris dextra, ille licet procul, fugiat ad sinistram: quòd si umbra cernitur in sinistra, ille vertatur ad dexteram. Donec ergo columba sub arboris illius umbraculo fuerit commorata, nullis eas crudelis illa bestia valet insidiis ledere: alioquin si procul eas invenerit, sine ulla contradictionis obstaculo repentim invadit. Hæc Damianus de columbæ refugio, quod ad Crucis lignum, vitæ, & scientiæ arborem transfuisse difficile non fit. Hanc stygius ille Draco lethalem expertus nunquam non fuit; ad hanc arborem confugientem Mariam, atque ad Christi filii inde pendentis vulnera sese recipientem, nunquam potuit invadere. Recipientem, inquam, se in vitalis Crucis umbram atque ad Præservatoris sui vulnera (quæ certissima petreæ foramina dixit Salomon, tanquam ad promurale, ut LXX. reddunt, Græcè juxta præmunitionem, vel in velamine sepium, seu murorum, ut Victorius Scialah transfuit ex lingua Chaldaica: vel ex lingua Arabica, in tegmine umbra scopuli, ut idem auctor extulit) perfugientem, atque certâ fide, sapientique præservantis ligni cognitione in ipsum intentam; longè secus quam Eva, quæ Draconem potius sequens, ad curiosæ, & ambitiosæ scientiæ arborem dum seducta accedit incauta columba, ut dixit supra Amænus, in Draconis incidit inhiantis guttur. Age quod agis, (inquit Rupertus) contemplantur quod contemplaris, atque hoc modo semper ostende mihi faciem tuam, & ostendendo corrige quod Eva peccavit, & abscondit in me faciem suam. Ubi abscondit? In medio ligno paradisi, videlicet in eodem, in quo peccavit. Certè ad lignum scientiæ boni, & mali vetitum; ad lignum, in quo latere putabat summam sapientiam, ambitiosè accessit, sed stultissima discessit à callidissimo Dracone seducta. Dum verò Rupertus Evæ Mariam opponit, satis ille perspicuè docet, Deiparam nunquam sub illa scientiæ arbore lethali latuisse, nunquam in Draconis fauces incidisse, nunquam se à facie Domini abscondisse: quin potius vitalis ligni umbra, Crucis nempe, semper fuisse protectam, indeque modestam, & columbinam scientiam traxisse, per quam à lethali veneno fuit quàm tutissima, Draconis insidias sapientissimè delusit, ac te terrimum serpentis caput ambitiosâ turgens calliditate contrivit.

Rupert.

### SECTIO V.

Deipara seipsam dilaudat; nisi enim ipsa se ipsam laudaret, nulla esset pura creatura, à qua pro dignitate posset laudari.

159. Conspirent licet omnes pariter creature, Angelicæ, & humanæ, tota animi contentione, in Mariæ præconia; non tamen æquale aliquid offerre nunquam poterunt infinitæ propemodum illius dignitati, P. Ildeph. de Flores in Eccles.

& gloriæ. Tanta est Mater Virginitatis excellentia, tanta ejus gratia, & merita sunt, ut omnes humanæ, & Angelicæ linguæ præconium Marianis laudibus longissimo intervallo impar extet. Est hæc perspicua Sanctorum Patrum mens. Bernardi in primis Ser. 4. de Assumptio. sic fantis: *Licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quiddam dicitur de indubitabili, eo ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus acceptetur.* Subtexit dulcissimus Abbas: *Que jam poterit lingua, etsi Angelica est, dignis extollere laudibus Virginem Matrem; Matrem autem non cuiusque, sed Dei? Preme illud, sed Dei: quasi dicat: Si Dei perfectio explicari nequit, ita Virgo omnium superat explicatum, quia Mater Dei est, quod præ se fert infinitatem quandam, & indicibilem excellentiam: Dei enim Mater mater nulla, nec de soluta Dei potentia, sublimior potest inveniri, cum nullus sublimior filius dari queat, Et inestimabile fuerit quod in ea peractum est mysterium ab omni infinitate, infinites, infinitè exemptum, ut loquitur Andreas Cretensis Orat. 1. de Dormit. Virginis. Consonat. Seleuciæ Episcopus S. Basilus Orat. de Annuntiatione: *De Virgine (inquit) qui omnia illustra, & gloriosa dixerit, nunquam à veritatis scopo aberraret: attamen dignitatis magnitudinem nullâ unquam oratione exæquabit.**

S. Bern.

Deipara indubitabilis est, ineffabilis.

Cretenfis.

S. Basili.

Cant. 4. 4.

160. Huc revoco illud Cant. 4. 4. ubi sic Virginis sublimitatem divinus commendat Spiritus: *Sicut turris David collum tuum, quæ edificata est cum propugnaculis: mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium.* Rabbi Abraham in Commentariis, alique pro propugnaculis, legunt ad suspendendum ora. Alii, inter quos R. David in lib. Radicum, efferunt; quæ edificata cum excisis, seu elevatis orium, sive linguarum similitudinibus. S. Ambrosius pro illis, mille clypei pendunt ex ea, legit, mille ostia pendunt, vel patent in ea. En turrim Marianam cum linguis, & oribus ædificatam; en omnes omnium linguarum, & ora, omnemque facundiam in tantæ Virginis laudes conspirantia. Quid verò exinde? Aperit S. Damascenus orat. 2. de Nativitate, *Virgo omnium encomiorum legem excedit: nec si omnes in toto orbe disperse lingua in unum cœant, ejus laudes oratione consequi possent.* Impar est omnis lingua, omnis sermo, omnia ora non sufficiunt Marianis laudibus decantandis. Cujus rei causam videtur assignare Pacificus Rex, illis verbis: *Mille clypei pendunt ex ea.* Hebraicè pro mille ponitur elef, quod unum, & mille, numerorum principium & finem potest significare, atque adeò principium & finem. Sic Christus Dominus seipsum appellavit Apoc. 1. Itaque potest verti: *Deus clypeus pendet ex ea.* Unde Venetus in sua Harmonia Can. 3. ton. 7. c. 13. explicat: *Deus est scutum pendens & imminens super ipsam turrim.* Certè ex Maria Deus ipse humanâ naturâ indutus pendet, uti filius ex Matre. Quid mirum, si tam sublimis, tamque immensa Deiparæ Maternitas, & excellentia est; minimè possent omnia ora, omnes linguæ, quantumvis in unum conspirent, ejus laudes oratione consequi?

Omnium encomiorum legem excedit Virgo.

Damasc.

78

Georg. Venet.

161. Quid ergo? Nemo erit, qui Deiparam pro dignitate commendet, ejusque magnitudinæ æquale aliquid afferat? Certè voluit in primis Deus, ut ipsa Virgo, absque ullo humilitatis dispens-

Deipara se ipsam dilaudavit, ut pro dignitate auderet.

dispendio, seipsam dilaudaret, ut sic inter puras creaturas esset, quæ dignè eam commendaret: nisi enim ipsa seipsam dilaudaret, nulla quidem extaret, à qua pro dignitate laudaretur. Idcirco Siracides Virginem Deiparam inducit seipsam dilaudantem, & magnalia sua evulgantem toto eo cap. 24. *Sapientia laudabit animam suam*, id est, seipsam, ut supra explicuimus. Sed rem totam comprobemus & illustremus. Perrexit præproperâ festinatione Maria Verbo divino gravida in domum Elizabeth. hæc Virginem ut vidit, ejus magnitudinem, & supremam dignitatem sic dilaudavit, revelante Spiritu sancto: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Beata, quæ credidisti, &c. Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Summatim quidquid in Deipara eximium est, commendavit pia Virginis laudatrix Elizabetha. Imò voces illas dixeris esse Joannis Baptistæ, cujus exultatio tota effusa est in Marianas laudes decantandas. Quid verò ad hæc Deigenitrix Virgo? Timuitne præ virginea pudicitia suas laudes? expavit ad tam gloriosum tamque novum panegericum, ut paulò antè ad præcellentem Gabrielis salutationem? Miminè gentium. Imo verò ipsa seipsam laudavit sua extollens magnalia, ex Spiritu sancti afflatu, in ea prorumpens verba: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Paucis verbis magna sui ipsius encomia comprehendit juxta Origenis Adamantii commentarium Hom. 8. in Lucam. *Quæritur quomodo magnificet Dominum? Si enim Dominus nec augmentum, nec decrementum recipere potest, & quod est, est: quâ ratione nunc Maria loquitur; Magnificat anima mea Dominum? Respondet satis argutè: Unusquisque nostrum ad imaginem Christi formans animam suam, aut majorem ei, aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, aut claram atque lucentem, & splendentem ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est, animam meam, & magnificaverò eam opere, sermone, cogitatione; tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cujus imago est, in nostra anima magnificatur.* En quo pacto Deipara Deum magnificaverit; in seipsam nimirum imaginem Christi exprimendo clariorem, splendidiorem, perfectiorem per clariora, splendidiore, & perfectiora opera, cogitationes, & sermones ad similitudinem divinarum virtutum, quæ in Virgine potissimum resplenderunt, longè sublimiori gradu quàm in Justis omnibus hominibus, & Angelis. Sic inter aliquos grandiore efficit Dei imaginem, atque adeò plus Deum ipsa sola magnificavit. Hoc est, quod ait, cum intinat: *Magnificat anima mea Dominum.* Quid hoc, Virgo humilis, & humilitatis magistra? Tu ipsa tui ipsius encomia suscipis celebranda? tu te ipsam dilaudas, & commendas? Nonne fat erat Elizabetham, & Joannem in tua præconia conspirasse? Certè oportebat, ut inter puras creaturas extaret aliqua, quæ dignè versaretur in Mariæ laudibus decantandis; cùmque nulla alia, præter ipsam Virginem, dari queat, quæ aliquid laudationis dignitati illius æquale offerat; voluit Deus ut ipsa seipsam laudaret, paucis magnarum laudum summam colligens, dum ait: *Magnificat anima mea Dominum.*

Luc. 1.

Luc. 1.

Origen.

162 Contemplare Virginem sanctissimam, in colloquio cum Angelo seipsam Virgine dilaudavit dum Dei Matrem a se dilaudavit. (ait Ludovicus à Saxonia 1. p. vitæ Christi Ludov. c. 2.) contemplationi, aut orationi, aut lectioni Saxo. se dabat, scripturas de adventu Christi frequenter legebat, & quidquid in scripturis de Christi Incarnatione inveniebat, hoc osculando & amplexando dulciter relegebat. Simon verò Sim. Cass. Cassianus apud Barradas to. 1. lib. 7. c. 6. In conclavi erat Virgo, eam vigilanter invenit Angelus, deditam lectioni. Ipse autem Barradas addit: *Forsan eà horâ illud Isaia vaticinium; Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, animo volebat.* His igitur Isaia verbis, quibus de fide constat, Virginem quandam, integra, & intacta Virginitate, Christum D. concepturam, & parituram, Deipara Virgo hærebat contemplando. Cùmque in eo vaticinio supprimatur tantæ illius Virginis nomenclatura, à se, ut erat humilis, ad aliam Virginem verborum sensum desinebat, illam exaltando omnium penè encomiorum genere, quo postea sancti Ecclesiæ Proceres ipsam extulere. Aiebat itaque: *O Virgo benedicta, & superbenedicta! ô verè gratiosa, & venerabilis! ô verè gloriosa, & admirabilis! ô femina plena, & superplena gratiarum!* Tu sola digna inventa es, ut in tua virginali aula Rex Regum à regalibus sedibus veniens primam sibi inter filios hominum sedem eligat. Quidnam te sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni aut Dominationes, non Cherubim atq; Seraphim. Solo Deo excepto, cunctis superior existis. Servire huic Virgini regnare est, & se inter illius mancipia numerare, plusquam regnum. Addit ipsa Virgo apud S. Brigittam lib. 1. revelation. c. 10. *Ego semper in corde meo optavi, ut viverem ad tempus nativitatibus ejus; si forte fieri mererer ancilla indigna Matris Dei.* In his & similibus votis, suspiriis, & encomiis decantandis versabatur humilis Virgo, putans aliam à seipsa futuram Dei genitricem. Sic eam seipsam laudantem ac deprædicantem Angelus invenit. Atque hinc, ni fallor, tota turbationis causa in Virgine, dum ex Angelicis verbis percipere agnovit, non aliam à seipsa præelectam ad Matris Dei dignitatem, & totius sanctitatis fastigium, turbata est in sermone ejus. Turbata quidem est præ eximia animi demissione; quòd ore videlicet proprio seipsam à seipsa tantoperè dilaudatam animadvertit. Planè hoc Spiritus sancti artificium fuit; ut inter puras creaturas extaret aliqua, quæ Deiparam Mariam pro dignitate commendaret: nisi enim seipsam Virgo laudaret, nulla extaret à qua dignè posset laudari.

Ne Virgo quidem ipsa suam potuit comprehendere magnitudinem. Luc. 1. 49.

ginem

ginem esse, & Dei Matrem, humani generis reparatricem, scientiarum omnium perfectissimam, gratiæ plenissimam, Deo ipsipropinquoerem, & chariorem universâ creaturâ? Noverat planè: sed tantâ, tamq; ineffabilia & inexplicabilia ea sunt, ut ne ipsa quidem omniscia Virgo potuerit illa ingenio, & sermone comprehendere. Acute hæc S. Thomas à Villanova ser. 3. de Nat. B. Virginis: *Fecit mihi magna qui potens est. Sed quàm magnam Nescio an ipsamet valuit suam comprehendere magnitudinem.* Didicit à Doctore & Patre sanctissimo Augustino tomo 9. super *Magnificat: Audacter pronuncio, quòd nec ipsa plene explicare potuit, quòd capere potuit.* Ut hanc Virgo comprehendere possit, à beatæ visionis claritudine erudiri, & illuminari, necessum fuit: Quomodo loquitur Dionysius Richelius lib. 2. c. 8. de Præconio, & Dignitate Virginis apud Canisum lib. 13. c. 3. *Eò quòd Maria veri, omnipotentisque Dei Mater vera facta sit, tantam gratiæ plenitudinem continet, quantam nec ipsa quidem Virgo, nisi Dei contempletur essentiam, perspicere possit.* O ineffabilem, & incomparabilem Mariæ dignitatem! Arcanè igitur illam seipsam dilaudantem inducit Siracides noster.

S. Tho. Vil.

Richel:

§. V I.

Virginem Matrem, animam suam appellat Christus Dominus. Dignior ille, ac locupletior Mariæ panegyrista.

Deipara Dei anima appellatur. Hugon. Car.

Christus Dei anima. Levit 16. 11. Origen.

Luc. 23. 16. Christus in Cruce spiritum commendat suum, id est, Matrem suam. S. Anselm.

164 Hoc suadent verba Ecclesiastici: *Sapientia laudabit animam suam*, adhibita eminentissimi Hugonis Carenensis elucidatione: *Sapientia laudabit animam suam, id est, animam B. Virginis, quâ specialiter sua fuit. Animam igitur Virginis laudavit Dominus pro bonis naturalibus, & bonis gratuitis, pro carnis gubernatione, pro celestium contemplatione, & ejus capacitate.* Ut vides, Matrem suam appellat Christus animam suam. *Dei anima appellatur Christus Dominus Levit. 26. 11. Non abiciet vos anima mea.* Ad quæ verba Origenes Hom. 16. ad finem, scitè quærit: *Quid est anima Dei? numquidnam putamus, quia Deus habet animam sicut homo? Absurdum est hoc sentire de Deo.* Argutè igitur respondet: *Ego autem audeo, & dico, quia anima Dei Christus est. Sicut enim Verbum Dei est Christus, & Sapientia Dei, & virtus Dei, ita & anima Dei est.* Haud longè dissimili ratione dicitur Deipara anima Christi, sicut Christus appellatur anima Dei. Pendeat è Cruce Dominus in ultimis constitutus; cùm in illud postremum erupit verbum: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum:* id est, animam meam. Quid est, quòd animam suam Christus commendat Paternis manibus? Nonne Paterno semper tenebatur, ac fovebatur amplexu totus Filius? Sequor ingeniosam, & piam S. Anselmi interpretationem, qui tom. 3. in Dialogo de Passione arbitratur, animam à Christo tunc in Patris manus commendatam, esse Deiparam sanctissimam Cruci adstantem: *In hac commendatione cum hostia sanguinis commendabat Christus Deo Patri Matrem dulcissimam, quæ scriptum est, & purissimum habitaculum Spiritus sancti.* Quasi perinde esset quòd Christus suam animam, atque si suam Ma-

trem, commendaret, cùm hæc anima illius sit.

165 Fundatur honorifica hæc appellatio in strictissima conjunctione inter Filium, & Matrem; inter Christum, & Deiparam; quæ tanta est tamque suprema; ut scribat Arnoldus Carnotensis Abbas ser. de laud. Mariæ: *Una est Maria, & Christi caro, unus spiritus (id est, una anima) una charitas.* Ex natura charitatis, seu amoris inter utrumque deducit unam esse utriusque carnem, & animam. Quò enim major est amor, eò est major inter amantes conjunctio: cùm amor amantem in dilectum transmutet; & anima amantis magis sit ubi amat, quàm ubi animat. Nullus major amor, quàm inter Christum & Deiparam: nulla igitur strictior conjunctio quàm inter utrumque. Crescit sacra hæc conjunctio usque ad quandam identitatem, quæ conjunctionis summum fastigium est, neque ultra procedere valet. Preme S. Petri Damiani verba ser. de Nativitate: *Habitat in Angelis Jesus, sed non cum Angelis, quia cum illis ejusdem non est essentia: habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua unius nature habet identitatem.* Quid mirum, Matrem suam appellet Christus animam suam? Amoris non vulgaris, sed divinissimi, ardentissimi, specialissimi, hæc vox est; *vita mea anima mea.*

strictissima conjunctio inter Christum & Deiparam.

Et certè identitatis.

S. Damiani.

Ecclesiæ vita & anima Deipara.

Cùmque B. Virgo sit vita, & anima Christi, qui est totius Ecclesiæ caput, corporis, ac membrorum vita, & anima similiter esse debuit: non enim nisi per Mariam vivere possumus. *Mecum sunt* (ait ipsa Prov. 8. 18.) *opes superbae.* Symmachus legit, *vita antiqua.* Certè vitam antiquam poteris interpretari vitam, animam, seu spiraculum vitæ, quod olim inspiravit Deus in faciem Adami, Gen. 2. vitam quidem naturæ, & gratiæ. Utraque hæc vita redintegratur per Virginem, quam Spiraculum hominis appellat Idiota pius, in contemplat. B. Virg. c. 5. De qua etiam Ecclesiasticus noster cap. 4. 12. *Sapientia filii sui vitam inspirat.* Vix dum Protoplastus Adam audierat gravem illam mortis sententiam à severissimo Judice irrogatam, *Pulvis es, & in pulverem reverteris,* Genes. 3. 19. cùm ipse præ oculis habens uxorem suam, matrem perituræ stirpis; *Hevam* eam appellavit. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ *Heva.* S. Hieron. de quæstion. Hebraic. observat translationem aliam: *Alia littera habet: Et vocavit Adam nomen uxoris suæ vitam.* Sic etiam habent LXX. Interpretes. Quorsum hæc, ô Adam, nominis impositio? More damnaris; te tuosque in pulverem, & cinerem resolvendos audis, & uxorem, quæ futura est morientium mater, vitam appellas tuam, tuorumque? Nonne opportunior esset appellatio, si mortem illam appellitasses? Planè, ut Augustinus loquitur; *Majore quodam instinctu, & non frustra vocavit Adam nomen mulieris suæ vitam.* Prophetice tunc Adamum locutum, putat S. Doctor. Prænovit enim divinâ revelatione post primum lapsum, Christum, quatenus Redemptorem, & Deiparam sanctissimam, quæ futura erat Christi genitrix, & mundi vita: ut probant docti expositores ex illo Genes. 3. 15. *Inimicitias ponam &c.* Prænoscebat in sua Eva præsignari ænigmaticè Evam aliam peccati expertem, longè sanctiorem, prioris Evæ correptionem, & humani generis

Prov. 8. 18.

Genes. 2. 7.

Idiota: Eccles. 4. 12.

Genes. 3. 19.

Heva, id est, vita Deipara.

S. August.

D 4

neis